LAP

LIBRARY OF PRINCETON
OCT 11 1984
THEOLOGICAL SEMINARY

FRANCISCANUM

MAYO - AGOSTO 1961
Año III No. 8
Bogotá D. E. - Colombia

FRANCISCANUM

Revista Cuatrimestral

Colegio Mayor de San Buenaventura
Facultad de Filosofía. Teología

Calle 72 # 10-88 Bogotá 2 D.E. Colombia S.A.

Tarifa Postal Reducida Licencia Número 445 del
Ministerio de Comunicaciones

Director: Fr. Lucio Vanegas L, ofm.

Redactor: Fr. León Franco L, ofm.

Dactilógrafo: Fr. Publio Restrepo G, ofm.

Editor: Fr. Anibal Vanegas L, ofm.

Encuadernadores: Fr. Leonardo Cadena P, ofm.
Fr. Arturo Isaza B, ofm.

CENSOR: R.P. FR. JUAN DE J. ANAYA P, OFM.

Año III Mayo-Agosto No. 8
1 9 6 1

SUMARIO

De Significatione Montis Sion in S. Scriptura
R.P. Fr. Darius Correa Gomez, OFM. 5

Esencia de la Ley Natural
Fr. Alonso Morales Duque, OFM. 58

Bibliografía:
Ciencias Sagradas, Espiritualidad, Psicología y Pedagogía, Sociología. 78

Libros Recibidos 100

H e c h o s 106

DE SIGNIFICATIONE MONTIS SION IN SACRA SCRIPTURA

P. DARIUS CORREA GOMEZ

CAPUT QUARTUM

SION-IERUSALEM IN TEMPORE MESSIANICO

Si, uti vidimus in articulo primo capitis primi, cum electione Sion incipit phasis messianico-cultualis activitatis Yahweh, consequenter ipsa Sion suum munus habet in tempore messianico. Quapropter in hoc capite agendum est de Sion-Ierusalem tanquam solio regni Yahweh et throno Messiae, et deinde de Sion-Ierusalem ut centro regni messianici et capite residui Israel.

Articulus I

Sion-Ierusalem solium regni Yahweh

In V.T. fundamentum regni ethici et spiritua-

lis Yahweh est ipsius naturale dominium in omnes creaturas, uti deducitur ex ipso conceptu regalitatis. Regalitas Yahweh manifestatur implicite in creatione, quatenus Yahweh creans entia, sibi reservat ius ea gubernandi(Gen.2,17; 6,5-13; Is.43,15; 44,6; Ps. 92); in hoc sensu regalitas Yahweh est universalis.

Ex alia parte, Yahweh speciali ratione est rex populi Israel, in sensu proprio et in ordine aliquo providentiae; eius finis est salus populi electi, nempe: vel tanquam rex universi mundi, vel tanquam rex solius populi Israel. In pluribus locis rex non clare apparet, (Ier. 48,15; 51,57; Ps. 5,3: 23,7ss.) et in aliis, regnum Yahweh respicit sive tempus praeteritum sive futurum (Ex.15,18; 1 Sam. 12,12s., Ps.144,11-13; 145,10).Ante exilium Yahweh magis consideratur tanquam rex Israel (Num. 23,21; Is. 41,21; 43,15; Mich.2,13; Soph.3,15); - post exilium autem ut dominus universae terrae (Ps. 21, 29; 46,3.8; Ier. 10,7.10; Zach. 14,9; Mal.1,14). Tandem; in aliquibus locis magis sermo est de tempore expectationis (Is.24,23; 33,22; Abd.21; Soph.3,15; Zach.14,16 s.) Et praecise ob hanc causam tractare volumus de Sion -Ierusalem quae est solium regni Yahweh et quidem tempore restaurationis messianicae, quia regnum Yahweh est - etiam eschatologicum, eo sensu quod tempore futuro statuetur super Israel et super omnes gentes cum omni splendore; et in hoc casu identificatur cum eschatologia messianica, licet in sensu lato, quia non fit mentio de Messia personali, et ex alia parte, nunquam regnum Yahweh ponitur in relatione cum eschatologia transcendentali seu cosmica (1).

Expressio igitur "regnum Yahweh" potest habere duplicem significationem, scil. praeminentiam seu gubernium in sensu abstracto, et dominium super aliquod - exercitum in sensu concreto (2).

A.- Ps. 98.1-2 (H.99,1-2): Yahweh est rex mag

nus in Sion-Ierusalem.

v. 1 Dominus regnat: tremunt populi;
sedet super Cherubim: movetur terra.

v. 2 Dominus in Sion magnus
et excelsus super omnes populos (3).

Hic psalmus celebrat magnificentiam, sanctitatem atque iustitiam Yahweh regnantis in Sion-Ierusalem.

In psalterio inveniuntur psalmi qui speciali - modo cantant regalitatem Yahweh. In Ps. 46, Yahweh tanquam rex victor, magnus et terribilis, ascendit in thronum post victoriam, et hymnis psalmisque proclamatur - eius regalitas ab omnibus nationibus terrae. Notatu - dignum est Yahweh hic appellari "rex magnus", qui erat titulus regum assyriorum (Is. 36,4). Ps. 92 considerari potest tanquam primus hymnus illius seriei. Ps. 92-98, quae celebrant regalitatem universalem Yahweh, qui et repraesentatur maiestate et potentia praeditus, cuius-- que imperium extenditur non solum ad populum Israel sed etiam ad omnes creaturas. In Ps. 94-97 apparet Yahweh - tanquam creator universi mundi, et ideo tanquam magnus Deus quem praecedunt maiestas et decor, et rex magnus - super omnes deos, id est, rex universalis, quem adorant omnes familiae populorum et ante quem contremiscit universa terra et una cum caelis exultat, quia Yahweh regit cum iustitia et aequitate. Hi psalmi non describunt proprie eventum eschatologicum sed potius habent significationem cultualem (4) quatenus nomen Yahweh "celebrandum et tremendum" est, seu summo honore colendum (3 Reg. 8,33; Ps.4,3,9; 53,8; Is.25,1; Dt. 28,58; Mal. 1,14).

In nostro psalmo Yahweh describitur ut rex potens coram quo tremunt populi et commovetur terra. Thronus eius sunt Cherubin, collocati supra Arcam, praecise ad indicandam eius maiestatem (Ps.79,2). Pluribus in locis dicitur Yahweh sedere super Cherubin, et haec expres

sio fit quasi formula characteristica (1 Sam. 4,4;2 - Sam. 6,2; Ps. 69,2: Is. 37,15). Arca foederis erat specialis thronus Yahweh in terra, et hac de causa in v. 5 vocatur scabellum pedum Yahweh, sicut etiam in 1 - Chr. 28,2; Ps. 131,7; Thr. 2,1; quo nomine vocatur - etiam terra et caelum (Is.66,1). Uno verbo, prout ex vv. 2 et 9 patet, hic agitur de throno et sanctuario - Yahweh in monte Sion; ibi Yahweh est rex magnus, titulus regum potentium, et nomen eius (id est, essentia - et potentia eius) magnum et tremendum ac inaccessibile physice et moraliter, quia sanctum est. De hoc conceptu sanctitatis Dei iam tractavimus, solum restat repetere quod sanctitas Yahweh in V.T., includit perfectionem moralem divinitatis et praesertim inaccessibilitatem absolutam (cf. Is.6). In hoc loco sanctitas regis diffunditur in totum regnum, eo quod exercetur iudicium et iustitia et ipse subditi regni sunt fideles servatores legis, sicut fuerant Moyses et Samuel (Num.12,5. 13; Sir. 45,1-27; 1 Sam. 7,8; Sir. 46,16-23).

Igitur, Yahweh regnat in Sion in quantum attributum divinae iustitiae ab omnibus populis in Sion celebratur et timetur.

B.- Is. 24,23: Sion-Ierusalem, solium Yahweh regis ac legislatoris.

Et erubescet luna, et pallescet sol,
cum regnaverit Yahweh exercituum
in monte Sion et in Ierusalem,
et in conspectu seniorum suorum glorificatus
(fuerit.

Describitur in hoc textu culmen regni Yahweh, uti mentalitas V.T. illud concepit (5). Sub figura catastrophes universalis depingitur destructio Iuda ob violationem legis, et solum iusti salvantur; sed omnes praevicatores seu oppresores Iuda similiter peribunt, et tunc denuo regnavit Yahweh super populum suum.

Regnum Yahweh in Sion-Ierusalem conectitur - cum destructione omnium idolorum, nam militiae caeli non sunt nisi dii astrales gentilium et reges eorum qui - etiam adorabantur (Cf. Dt. 17,3; 4 Reg. 21,5; 23,4; Ier. 19,13; 46,25). Destructio idolatriae est effectus regni Yahweh (Is. 27,9; 30,22, 31,7).

Quoad phoenomena solis et lunae, propheta Ioel 3,4 et 4,15 (3,15) depingit punitionem populi et destructionem appressorum Israel in monte Sion, similibus figuris catastrophes sideralis. Hae sunt metaphorae ad indicandum quod maiestas Yahweh iudicis ita splendescet - ut etiam sol et luna, quae considerabantur ut praecipui dii siderales, amittatnt lucem suam et splendorem. Praeterea, in ipsa prophetia Isaiae dicitur quod sol et luna non erunt amplius lux per diem et illuminatio in nocte quoad novam Ierusalem, neque ultra sol occidet nec luna minuetur, quia Yahweh erit lux eius sempiterna, cum regnaverit in Sion-Ierusalem (60,19s.; 30,26 et etiam - Zach. 14,7).

Dies iudicii divini circa omnes oppressores - populi Israel respiciet etiam idololatriam, quae fuit causa infidelitatis populi electi. Et Sion-Ierusalem - est solium ubi sedet Yahweh ad iudicandum et ad leges - ferendas eodem modo ac primis temporibus apparebat in monte Sinai; in Ex. 24,9s. narratur quod Yahweh appa--- ruit Moysi, Aaron, Nadab, Abiu et et septuaginta ex senioribus Israel, et illi viderunt Deum Israel, et sub pedibus eius quasi opus lapidis sapphirini et sicut aliquid caelo ipsi claritate aequale, sicut thronus quem - vidit Ezechiel (1,26; 10,1). Id est, sicut in Sinai thronus Yahweh regis et legislatoris est tanquam caelum, ita etiam Sion-Ierusalem est solium Yahweh quando hic iudicat inimicos populi sui.

Yahweh regnat in Sion, in quantum hostes populi destruit et gloriam suam manifestat senioribus populi ut in Ex. 24,9s. Gloria concrete identificatur cum

pparentiis visibilibus maiestatis divinae (Ex.24,10. 16-18), quae concedentur ut auctoritas adscribatur legislationi sinaiticae proxime promulgandae (Ex.24,12). ergo regnum Yahweh connotat activitatem Yahweh legislatoris in Sion exercendam non solum super reges terrae, sed etiam super militiam caeli (v.21) seu, uti diximus, super deos gentilium.

C.- Abd. 21: Regnum Yahweh in Sion-Ierusalem post iudicium Edom.

Et ascendent salvatores in montem Sion ad iudicandum montem Esau; et erit Yahweh regnum.

In unico capite, prophetia Abdiae loquitur de exterminio Edom.

Descendens Esau, id est, Edomitae seu Idumaei, habitaverunt montem Seir (Gen. 36,6s.; Dt.2,5)seu regionem montanam ad orientem et occidentem vallis El-'Arabah, inter mare Mortuum et Sinum Aelamiticum;eiusque urbs princeps fuit Sèla seu Petra in valle W. Musa (4 Reg. 14,7). Habuerunt organizationem monarchicam anteriorem israelitica (Gen.36,31; Num. 20,14; Idc.11,17). Creata monarchia in Israel, rivalitates inter Edom et Israel multiplicantur (1 Sam. 14,47); sed David coegit Idumaem et sibi subiecit (2 Sam. 8,14; 1 Chr.18,13) sed tempore Salomonis, Adad se constituit regem super Edom (3 Reg. 11,22); et solummodo sub Ioram rege Iuda Edom et sub Achaz (4 Reg.8,20; 16,6; 2 Chr. 21,8;28, 17), independentiam omnino retinuit.

In secunda parte tractat Abdias de restauratione Israel ope eius superstitum in Sion-Ierusalem de gentium, qui iudicare debent Edom, qui foedus inierat cum omnibus inimicis Israel et in destructione Ierusalem particeps fuerat (10-16). Salvatores vel salvati - qui ascendere debent ex monte Sion seu Ierusalem, sunt

simul iudices Edom. Circumstantiae historicae quas respicit Abdias, videntur probabiliter esse illae expugnationis Urbis Ierusalem a Nabuchodonosor (a.587); nam plus quam ceteris circumstantiis satisfacit textui in v.11-14 et praecipue v.20 (6).

Verbum hebraicum נָקַם significat delictum alicuius punire seu vindicare (Ioel 4,2)(7); sumi potest etiam in sensu gubernandi (Ps. 2,10; 71,1s., Dan.9,12). Re quidem vera, iuxta Am.9,11-12 dicitur quod Yahweh in die illa suscitabit tabernaculum David et reaedificabit illud in diebus antiquis, ut possideat reliquias Edom, etc.; si Israel possidere debet Edom, idem est ac gubernium eius habere. Attamen idea vindictae magis congruit contextui tam proximo quam remoto (cf. Is. 34,5-17;Ioel 4,19-21; Mal.1,4s.).

In Ez. 25,12-14 Yahweh faciet vindictam contra Idumaeam a Theman usque ad Dedan, per manum populi sui Israel; et in cap. 30, quod totum dedicat prophetae contra monte Seir seu Edom, dicitur quod replebitur occisis, praecise quia voluerat potiri terra habitationis Yahweh. Montes aliquoties denotant etiam regiones - et ideo populum, ut in Ez. 5,2s.; et 36,1ss., ubi propheta loquitur ad montes Israel ad denominandam totam - regionem Iuda, probabiliter ob suam characteristicam configurationem topographicam. Caput 36 intime coniungitur cum 35; et sicut in 35 mons Seir seu Edom dicitur destruendus et desolandus, ita iuxta 36 montes Israel seu regio Israel habebunt completam propperitatem et erunt habitatio Israelitarum superstitum et congregatorum de universis terris (16-38).

Ideo iudicium seu vindicta contra Edom, iuxta citatos textus, debet fieri ab ipso residuo seu ab ipsis assistentibus regis Yahweh, et cum talibus characteribus, ita ut non fiat nisi applicatio legis talionis; id est, Israel habebit satisfactionem applicandi sententiam pronuntiatam a Yahweh contra Edom. Vindicta facta

super Edom, Yahweh obtinet regnum, quod est tanquam fastigium seu finis efficax prophetiae Abdiae. Regnum, ita mirifice in hoc loco descriptum est, ut sit unicus locus in tota scriptura ubi inveniatur terminus abstractus "regnum", ad indicandam potentiam regalem Yahweh relate ad regnum particulare super Edom (8). Notatur progressus conceptus militaris regni Yahweh quatenus regnum extenditur ad montem Esau virtute vindictae sumptae.

D.- Mich. 4,6-7: Regnum Yahweh in Sion-Ierusalem super residuum populi Israel.

v.6 In die illa, dicit Yahweh
congregabo claudicantem,
et deperditam colligam,
quam aflixeram;

v.7 Et ponam claudicantem in reliquias,
et deperditam in gentem robustam;
et regnabit Yahweh super eos in monte (Sion,
ex hoc nunc et usque in aeternum.

Invenitur hoc in capite famosum vaticinium de monte Sion, supra verticem montium posito, uti in Is.2, 2-5, et de quo loquemur in articulo III. Ex hoc oraculo sacer scriptor improviso transit ad aliud thema, id est, de restauratione seu de regno Yahweh super residuum populi electi, quod est tanquam verbum consolatorium ob infaustum vaticinium quod subsequitur (9-11). Restauratio annuntiatur ut eventus futurus, sed non necessarie eschatologicus, quia expressio "in die illa" tum apud prophetas tum apud hagiographos historicos dicitur de tempore futuro iudinii vel salutis, sine ulla acceptione propria eschatologica. Exempla abundant in S. Scriptura (cf. Is.2,11; 3,18; 4,1; Ier. 4,9; 25,33; Os.1,5;2, 21).

Populus in captivitate degens depingitur si-

cut grex ovium sine pastore; sed congregatur et fit populus fortis super quem regnabit Yahweh, et proprie in Sion-Ierusalem, in aeternum. Pluribus in locis Israel - exhibetur tanquam grex Yahweh (Ier. 13,17; Ez.34)qui ab eo ducitur per desertum (Ps. 77,52) et in dispertione - visitatur et congregatur (Ier.31,10; Zach. 2,12). In nostro vaticinio (v.8) Sion-Ierusalem vocatur turris - gregis Israel, ob illam consuetudinem ponendi turrem in campis pro custodibus gregum (4 Reg.17,9; 18,8; 1 Chr. 27,35; 2 Chr. 26,10; 27,4). Et in 2, 12 restauratio promissa consistit in congregando residuo Israel quod erit quasi grex in ovili et quasi pecus in medio caularum.

Populus in nostro loco est sicut ovis claudicans et deperdita, ad metaphorice indicandam eius miseram condicionem. Iisdem terminis utitur Sophonias in 3, 19, ubi promittuntur salus et glorificatio Israel,quae consistunt in reunione seu in congregatione ipsius; et quidem in loco, populus salvatus et congregatus non est nisi famosum residuum (VV.12-13), purificatum humiliatione, et in sanctitatem mutatum, de quo agendum est in articulo IV.

Notandum est quod in his prophetiis agitur de residuo Israel, cuius consolatio maxima consistit in eo praecise quod Yahweh est rex eius in Sion-Ierusalem. Et revera, iuxta 2,13 residuum congregatum fit forte, eo quod Yahweh pandit iter ante illud et ipse grex praesidet residuo sicut rex suis subditis; et in Soph. 3,14-17 solamen residui firmatur ex eo quod rex Israel, Yahweh habitat in Sion-Ierusalem.

Ex integro capite concluditur quod Yahweh est rex residui Israel in Sion-Ierusalem, quae consequenter fit caput novae theocratiae nationalis et assequitur potestatem et regalitatem antiquorum (4,8), id est, regalitatem dividicam, ob destructionem Ierusalem interruptam (Is.1,26).

Tempus autem talis restaurationis, prout ex textibus eruitur, videtur esse periodus regressus e captivitate, vel uti ex expressione "in illo die" iam vidimus indicatur tantummodo eventus futurus dependens a libera voluntate Dei. Solummodo hoc sensu regnum Yahvocari potest eschatologicum seu messianicum sensu lato, id est, temporis felicitatis futurae (9), ut ita regnum Yahweh conservet suum sensum historicum, sicut dicit P. Lagrange (10).

Ergo Yahweh exercebit regnum in Sion eo quod nationem Israeliticam dispersam in terram sanctam reducet, et dynastiam davidicam potentem sicuti primo, in Sion restituet. Unde apparet conceptus militaris politicus.

A r t i c u l u s I I

Sion-Ierusalem thronus Messiae.

Antequam aggrediamur exegesim textuum ubi Sion-Ierusalem describitur tanquam thronus Messiae, per utile aestimamus aliquas notiones circa Messiam vel potius circa regnum eius praebere. Imprimis, regnum Messiae non est confundendum cum regno Yahweh, quia conceptus regni Yahweh maiorem extentionem habet quam regnum Messiae, regnum Messiae est pars tantum quae continuat et integrat ideam regni Yahweh, eo quod in ipsa communissima spe populi Israel quoad imperium effectivum Yahweh; continetur etiam idea alicuius mediatoris vel repraesentantis humani Yahweh. Aliis verbis: regnum Yahweh est aeternum, sed aliquando visibiliter manifestabitur; regnum autem Messiae non existebat antea, et adveniet ad restaurandam dynastiam davidiaam. Sane, Yahweh est causa efficiens utriusque regni, Messias vero est tantum causa inmediata et instrumentalis regni sui (11).

Haec spes populi in aliquo mediatore humano - Yahweh, apparet iam in benedictione Iacob Iudae collata (Gen. 49,8-12); in vaticinio Balaam (Num. 24,17s.)et in Dt. 18,15-18. Attamen, haec conceptio generica et indeterminata magis determinatur, ad realitatem deducitur - per regnum sublime David et praesertim per promissiones a Deo factas ipsi dynastiae davidicae (2 Sam. 7,13-16). Hanc ob causam, Messias apparet tanquam rex e domo David et etiam tanquam secundus David seu David redivivus(Am. 9,11; Os.3,5; Ez.34,23s.; 37,24s.). Conceptus propheticus circa restaurationem Israel ut regni temporalis - Yahweh secum fert etiam restaurationem spiritualem ipsius Israel et omnium populorum, sicque constituitur - regnum novum et ideale, cuius rex est universalis ac procedens ex semine David (12). Igitur idea praedominans - Messiae regni est procul dubio manifestatio eius extraordinaria, uti apparet in illa trita expressione prophetarum "die Yahweh".

Etiam post periodum propheticam invenitur - adhuc generalis spes Messiae. In libris deuterocanonicis, exempli gratia, invenitur in Bar.2,35; Sir. 24,34; 47,13. Tempore Machabaeorum minor est mentio Messiae, - fortasse ob felicitatem et restaurationem praesemtem qua gaudebant; nihilominus aliquid insinuatur in 1 Mach. 4, 46 et 14, 41; hoc tempore plus minusve idea messianica conservatur in litteratura extra-canonica seu in libris apocryphis, in quibus continentur doctrinae particulares non omnibus notae sed solis initiatis, quique gaudent magna aestimatione et speciali auctoritate (13).Generatim regalitas Messiae apud Iudaeos huius aetatis concipiebatur ut pars seu portio regalitatis universalis - Yahweh. In libro Henoch (saec.II-I a. C.) exempli gratia, sermo est de Messia, qui vocatur "electus"et "Filius hominis" (14). Locupletiora sunt oracula sybillina (saec. II a.C.) in quibus Deus apparet tanquam rex immortalis et Messias ut sanctus dominator (15), aliis verbis, conceptus regni Yahweh et Messiae intime copulan--

tur. Insuper, in psalmis Salomonis (saec. I a.C.) invenitur vehementissimum desiderium adventus Messiae, qui vocatur rex, filius David; id est, aliquo modo cum characteribus nationalisticis (16).

His praemissis exegesim nostram aggredimur.

A.- Ps. 2: Sion-Ierusalem thronus Messiae, filii Yahweh et regis universalis.

v.6 "At ego constitui regem meum
super Sion montem sanctum meum!"

v.7 Promulgabo decretum Domini:
Dominus dixit ad me: "Filius meus es (tu,
ego hodie genui te.

v.8 Postula a me et dabo tibi
gentes in hereditatem
et in possessionem terminos terrae.

v.9 Reges eas virga ferrea,
tanquam vas figuli confringes eas".

v.10 Et nunc, reges, intelligite;
erudimini qui gubernatis terram.

v.11 Servite Domino in timore et exultate (ei,
v.(12) cum tremore, 12 praestate obsequium (illi,
Ne irascatur et pereatis de via,
cum cito exarserit ira eius:
Beati omnes qui confugiunt ad eum.

Apud psalmistas generatim regnum Messiae depingitur vividis coloribus, ut in psalmis 44,71,88 et 131 qui celebrant in genere universalitatem et perpetuitatem, characterem religiosum et pacificum regni Messiæ, cuius adimpletio ponitur in familia David.

In nostro psalmo Messias describitur velut

rex Sion-Ierusalem, specialibus characteribus praeditus, praesertim filiatione divina, et velut victor omnium - conspirationum gentium et dominator universalis.

Nationibus frustra pugnantibus contra Yahweh et Messiam eius, iste proclamat suam regalitatem super gentes, in Sion-Ierusalem. Textus non est clarus, nam iuxta originalem hebraicum Yahweh est qui loquitur et constituit Messiam suum in regem super Sion. Sed iuxta plures codices manuscriptos LXX et iuxta Vg., loquitur ipse Messias et se dicit constitutum regem a Yahweh. Unum certum est, sc. Messiam intime coniunctum cum Yahweh, esse regem super Sion-Ierusalem.

Hoc loco, Unctus seu rex a Yahweh constitutus non est sicut alii reges Israel, id est, cum potestate limitata et restricta ad solum populum Israel, sed rex universalis non solum quia coniurationes inimicorum - prorsus superabit, verum etiam quia accipiet ab ipso - Yahweh gentes in hereditatem et terram in possessionem sensu quidem absoluto, seu agitur de possessione mundi, et non de limitibus mere idealibus Palaestinae, ut in Ex. 23,31; et illos qui recusaverint se submittere potestati suae, Messias tanquam vas figuli confringet (v.9) atque erudiet reges, et addiscent cultum praestare Yahweh (v.10-12).

Dominatio universalis non potest intelligi in sensu poetico vel metaphorico, quia ne in stilo quidem aulico huiusmodi dominium hic descriptum concipi potest in historia Israel, eo quod nec David nec Salomon, nec ullus rex Israel ambitionem habuit regni universalis, etsi Babylonii et Aegyptii reges talem habuissent - (17). Ceterum quae dicuntur de rebellione ac interitu - hostium, longe superant quaecumque in litteris consignata sunt de regibus Israel; nam agitur de rebellione universali. Ideo, in casu, Unctus seu rex apparet cum characteribus qui nullo regi Israel congruunt, et tantum - conveniunt regi ideali seu Messiae per excellentiam. Er-

go, dominatio non potest intelligi in sensu poetico.

Imperium Uncti Yahweh, stabilitum super omnes populos est consequentia divinae originis ipsius Uncti (18). Yahweh vocat Unctum filium suum. In religione assyro-babylonica rex considerabatur tanquam filius alicuius dei vel deae (19); et apud Aegyptios rex vocabatur filius Rā vel Amon in quodam sensu proprio et physico, et generatim etiam ut deus agnoscebatur (20); iuxta P. Lagrange, titulus "filius Dei" ut titulus officialis datus regi ne apud populos quidem semiticos adhibitus esset(21).

In S. Scriptura aliquando angeli vocantur filii Dei (Iob 1,6; 2,1; 38,7; Ps. 29,1; 89,7) ad indicandam tantum naturam eorum eminentem, sine ulla propria relatione originis. Populus Israel apparet tanquam filius adoptivus Yahweh cum aliquo vinculo iuridico (Is.1, 2; Ier. 31,8; Os. 1,10; 11,1), ex eo quod filius familias habebat magna privilegia in legislatione antiqua; Israel erat populus primogenitus Yahweh, licet omnes alii etiam fuissent filii Dei ob creationem. Attamen, his in textibus paternitas Yahweh erga populum Israel, dicitur potius sensu quodam improprio. Rex porro Israel, licet vocetur Unctus, non est tamen filius Yahweh et sane nullibi fit mentio de eius filiatione divina. In promissione quidem vaticinii Nathan vocatur prima vice filius David filius Dei, sed in sensu morali (2 Sam.7,14, 1 Chr. 17,11.13); ita pariter successores eius, ex consequentia eiusdem vaticinii (1 Chr. 28,6). In Ps. 88,27 divina filiatio apparet magis determinata ad hominem singularem id est, ad David; sed etiam hic videtur agi solummodo de affectu vel providentia erga eum ob pactum de quo loquitur haec sectio psalmi.

In nostro autem loco adhibetur expressio aliquo modo differens et singularis, id est, "filius meus es tu, ego hodie genui te"; quae expressio revera est ἅπαξ λεγόμενον in V.T., quoad individuum -

quasi personam physicam (Prov.8,22-25 expressio est differens et in psalmi 109,3 non adest significatio secura) nec adhibetur ad indicandam adoptionem, quia nullus - alius textus invenitur in V.T. qui possit demonstrare - sensum adoptionis huius expressionis (22).

In vaticinio Nathan fit promissio "ego ero ei in patrem et ipse erit mihi in filium"; hic autem dicitur in praesenti "filius meus es tu"; et deinde indicatur paternitas qualis non invenitur in toto V.T.: " ego hodie genui te". Insuper verbum יָלַד semper significat generationem proprie dictam seu naturalem, quando obiectum est homo singularis seu persona physica (Gen. 3,16; 4,1.17; et passim). Igitur, in casu, Unctus Yahweh est filius eius naturalis; quod non potest dici de ullo rege Israel, sed solum de rege perexcellentiam seu Messia. Et profecto ex hoc psalmo videtur desumpta esse vox"Messias" tanquam nomen proprium ad designandam illum regem venturum et theocraticum (23). Utrum ex hac filiatione divina Messiae eruenda sit vera eius divinitas, certe non adest probatio demonstrativa, sed saltem insinuatur seu implicite contenta videtur. E Sion-Ierusalem incipit Messias regnare et protendere dominium suum universale, quia est filius naturalis Yahweh (v.7); habet gentes in hereditatem et extrema terrae in possessionem, atque potestatem ad nihilum redigendi reges terrae (v.8-9) et erudiendi eos (v.10), vi cuius reges addiscunt cultum Yahweh praestare (v.11-(12)). Munus erudiendi statim exercendum est, potestas autem militaris Messiae reprimendi inimicos exercebitur quando ira Yahweh exarserit.

B.- <u>Ps. 109 (H.110): Messias rex et sacerdos in Sion-Ierusalem.</u>

v.1 Dixit Dominus Domino meo:
"sede a dextris meis,
donec ponam inimicos tuos

scabellum pedum tuorum".

v.2 Sceptrum potentiae tuae
protendet Dominus ex Sion:
"Dominare
in medio inimicorum tuorum".

v.3 Tecum principatus
die ortus tui
in splendore sanctitatis:
Ante luciferum
tanquam rorem genui te".

Describitur in hoc psalmo imperium alicucius regis specialis super omnes nationes, eiusque sacerdotium aeternum.

Oraculum est quidem pro Domino. Terminus hebraicus designat personam superiorem eo qui alloquitur, et adhibetur semper ad loquendum regi (1 Sam. 25,25; 2 Sam. 1,10; 3 Reg.1,1). In LXX et Vg. invenitur vis vocabulum κύριος id est, "dixit Dominus Domino meo"; in hebraico autem adhibentur duo termini, id est, "dixit - Yahweh Domino meo".

Prout ex contextu apparet, Adonai non potest esse rex aliquis Israel, eo quod non potest cogitari David, cuius est psalmus, sic appellare filium eius Salomonem, quia David nunquam vocat Salomonem "Adonai" ne post unctionem quidem regalem (cf. 3 Reg. 2,2-9). Porro noster Adonai sedere debet a dextris Yahweh. Dextera Yahweh est locus honoris in V.T., ita ut a dextris regis tantum possit sedere regina et mater ipsius regis (Ps. 44,10; 3 Reg. 2,19); pariter in specie dextera Yahweh est symbolum potentiae eius (Ps. 17,36; 19,7; Ex. 15,6. 12; Is. 41,10); ergo qui sedet a dextris Yahweh, particeps fit potestatis eius et fit tanquam maximus et potentissimus post Yahweh seu vices regis gerens, ita ut in psalmis regalibus nunquam rex aliquis dicatur sedere a dextris Yahweh; in toto V.T., solus Adonai noster di-

citur sedens a dextris Yahweh. Igitur oraculum non potest esse nisi pro Messia seu vice-rege Yahweh, per excellentiam, qui cum sedeat a dextris Yahweh, id est, particeps fiat potentiae eius, habet inimicos tanquam scabellum pedum seu plene subiectos, iuxta morem orientalem (Dt. 33,29; Ios. 10,24; Is. 51,23; Mal.4,25).

In hoc psalmo regalitas Messiae similis est illi in psalmo 2 descripta, constituitur enim rex in Sion-Ierusalem et quidem ab ipso Yahweh. Virga virtutis Messiae, id est, sceptrum suae potentiae vel principatus (Ier. 48,17) non solum mittitur, sed etiam dilatatur (iuxta verbum [illegible] cf. 1 Sam. 14,27; Ps. 49,12; Is. 58,9) e Sion-Ierusalem, centro religioso et politico populi Israel, et capite etiam regni Yahweh.

In casu videtur extensio seu diffusio regni messianici characterem habere bellicum, prout constat ex textu hebraico in v.3; populus enim Messiae apparet promptissimus in die fortitudinis Messiae, cum ornatibus sacris, et numerosus sicut ros aurorae (2 Sam.17,12; Mich. 5,6); id est, ageretur de quodam bello sacro ex Sion-Ierusalem procedente. Messias ergo ex Sion pergit ad bellum sanctum contra inimicos die irae seu iudicii divini contra nationes (Ioel 2,1s.; Am.5,18); tali die est Yahweh qui sedet ad dextris sui vices gerentis, protectionem specialem ei praestans pugnaturo, quia causa Messiae est etiam causa Yahweh (Ps. 15, 8; 108,31; 120, 5). Iuxta LXX autem et Vg. Messias habet principatum ipso die nativitatis et nativitas est extraordinaria et arcana eodem modo ac ros oritur ante auroram; et ideo regnum praeditum est nota sanctitatis. Non certe constat utrum verbum [illegible] significet "principatum"; potius enim indicat "promptitudinem seu generositatem ad aliquid" (Lev. 22,21; Num.15,3; Ps. 53,8); praeterea verbum [illegible] "uterus maternus" non potest adhiberi de Deo. In his textibus Messias describitur tanquam verus rex, constitutus a Yahweh super Sion-Ierusalem, ex qua

expandit suum dominium universale, ipso summo Deo adiuvante. Messias est rex in quantum participat potentiae Yahweh et debellat inimicos atque extendit dominium suum e Sion. Hoc dominium est sacrum quia, iuxta LXX fundatur in aeterna Messiae origine ex ipso Yahweh, qui eum arcano modo genuit.

Porro hoc in psalmo regalitas intime coniungitur cum sacerdotio. Post oraculum, vates refert sollemne iusiurandum Yahweh, quo regem suum constituit aeternum sacerdotem. In antiquitate assyro-babylonica et aegyptiaca rex erat sacerdos per excellentiam et habebat titulum "patesi", vel melius "ensi" quod significat "vicarium divinitatis" (24). Reges Assyrii maximam curam habebant ostendere in documentis suos titulos sacerdotales, scil. "shangu" seu "sacerdotem" Asour et "shanknu" seu "vices gerentem" Enlil (25). In promordiis legislationis israeliticae sacerdotium de iure erat exclusivum filiorum Aaron et tribus Levi (Ex. 28,1; 32,25ss.; Num.3, 6-10) et ut tale habitum est decursu temporum; certissimum est, instituta monarchia in Israel, reges aliqua officia sacra exercuisse (26); sed non erant haec officia propria et exclusiva sacerdotum; alia enim erat propria et exclusiva sacerdotum in quibus ne regi quidem licebat commisceri (Ex.30,1.10; Num.10,40; 1 Sam. 2,28; 2 Chr. 26,16-20). Reges Israel non erant proprie sacerdotes, et ideo rex his descriptus non potest esse rex aliquis Israel, ne tempore quidem Machabaeorum quando Simon voto unanimi populi electus est summus sacerdos, dux et princeps Iudaeorum et sacerdotum seu populi Dei (1 Mach.14,56s.); quia Simon non fuit proprie "rex Israel", nam iuxta opinionem communem populi adhuc vigentem, rex Israel pertinere debebat ad tribum Iuda (2 Sam.7,16; Ps. 88,37s.; 131,12), et Simon non erat de tribu Iuda (1 Mach. 2,1).

Quoad aeternitatem sacerdotii Messiae, hic textus est unicus in toto V.T., nam sacerdotium aaroni-

ticum dicitur quidem aeternum (Ex. 29,9; Num. 25,12 ; Sir. 45,15) et Phinees accepit testamentum sacerdotii - aeterni (Num. 25,11ss.; Sir. 45,24); sed in his casibus sacerdotium promittitur non intuitu personae, sed potius stirpis vel tribus, ut in posteris perpetuetur. - Praeterea in 1 Mach. 14,41 Simon Machabaeus vocatur"summus sacerdos in aeternum"; sed inmediate subiungitur"donec surgat propheta fidelis"; et revera aeternitas sacerdotii Simonis fuit fugax, nam Hyrcanus filius eius deponere debuit officium summi sacerdotis (27).

Sacerdotium igitur Messiae est specialissimum, id est, secundum ordinem Melchisedech, qui prout constat explicitis verbis Gen.14,18-20, fuit verus rex et verus sacerdos tum in actibus tum in iuribus, et inter sacerdotes quorum mentio fit in V.T., ille revera eminet antiquitate. Melchisedech probabiliter erat Chananæus et consequenter polytheista, nisi admittas "miraculum misericordiae et potentiae Dei", iuxta Chaine (28), ad quod certe nemo tenetur. Quare ergo sacerdotium Messiae praecise comparatur sacerdotio hominis gentilis? Imprimis, videtur aeternitas sacerdotii Messiae non posse esse obiectum comparationis, nam certe sacerdotium Melchisedech non fuit aeternum. Ideo, comparatio sistitur tantum quoad sacerdotium in se et quoad regalitatem, id est, quoad has duas dignitates exercitas ab una eademque persona in eodem loco; ideo sicut Melchisedech fuit rex et sacerdos in Salem, ita et Messias est rex et sacerdos ibidem. Hoc praecise significant verba "secundum ordinem Melchisedech", quae iuxta LXX κατὰ τάξιν indicant modum vel ad instar; et iuxta Syr. "demîtho" indicat "secundum similitudinem", ad denotandum quod sacerdotium Messiae habet similitudinem cum sacerdotio - Melchisedech. Ergo sicut Melchisedech erat verus sacerdos, et quidem non ut sacerdotes Israel, heredes Aaron vel tribus Levi, sed modo personali quatenus erat rex, ita et Messias, natus e tribu Iuda et ideo cum iure ad regalitatem, habet sacerdotium quod pertinebat ad tri--

bum Levi, idque sacundum ordinem Melchisedech, ad demos trandum eius sacerdotium non procedere ex aliqua tribu vel familia, sed dari intuitu personae et directe ab ipso Yahweh uti patet ex sollemni iureiurando, quod revera in se includere debebat speciale sacerdotium, populo ignotum nec obliviscendum est regale et aeternum sacerdotium Messiae, uti patet ex terminis comparationis vel similitudinis, exercendum esse in Sion-Ierusalem. Messias igitur ob iusiurandum est sacerdos in aeternum ad instar Melchisedech qui, iuxta Gen.14,18-20, probabiliter obtulit sacrificium panis et vini, benedixit Deo Abrahae, in quantum est possessor caeli et terrae, et in quantum effedit ut Abraham de hostibus victoriam reportaret. Etsi "benedicere" non erat proprium sacerdotii, tamen in casu benedictio Melchisedech videtur fuisse extraordinaria et sacerdotalis (29). Praeterea, Abraham dedit ei decimas ex omnibus. Iuxta legem mosaicam omnes decimae populi Israel dandae erant filiis Levi ratione ministerii (Num.18,22ss; Neh. 10,38; 12,43).

C.- Zach. 9,9: rex pacificus in Sion-Ierusalem.

Exulta satis, filia Sion;
iubila, filia Ierusalem:
Ecce rex tuus venit tibi, iustus et salvator;
humilis et equitans super asinum et super
pullum filium asinae.

Post captivitatem babylonicam apparet propheta Zacharias, qui una cum Aggaeo valde insudavit in re constructione templi, eiusque oracula aliquando includant promissiones felicitatis perfectae. In capite nostro loquitur propheta de sorte futura Israel et nationum finitimarum, quae punientur et purgabuntur ab idolatria, atque subigentur ditioni Yahweh; dum Israel auxiliante Yahweh habebit posteritatem. Denique, tanquam -

consequentia horum eventuum describitur figura regis - iusti et salvatoria qui affert pacem nationibus, cuiusque regnum non habet limites.

Hac de causa, Sion-Ierusalem invitatur ad exsultandum et iubilandum gaudio magno, sicut mos erat - quando praenuntiabatur gratus eventus (Soph.3,14; Zach. 2,10); in casu praesertim quia reconstructio Ierusalem ab exsulibus reversis, pluribus angustiis confecta est, et ideo adventus talis regis specialis motivum fert exsultandi.

Novus rex Ierusalem vocatur "rex tuus";id est, rex magis determinatur ad populum Israel et ad civitatem sanctam; dum in psalmis potius agitur de rege universali. Hic rex venit ad Sion-Ierusalem portans ei salutem et prosperitatem et venit tanquam bellator ut in psalmis, sed ut rex iustus et salvator, humilis et equitans super asinum.

Iustitia et salvatio identificantur in S.Scriptura (Is. 35,5s.; 45,24s.; 46,13; 51,6). In Ier.23,5 et 33,15 "germen" David seu Messias tanquam rex depingitur et dicitur germen iustitiae; et in Is.45,8 loquitur ipse Yahweh et invitat caelos ut pluant et terram ut germinet iustitiam seu salvationem; licet sermo sit de Cyro in hoc capite, tamen verba huius versus potius quam Cyro conveniunt, si non certe ipsi Messiae, ut intendit Vulgata, saltem operi messianico.

Rex Sion-Ierusalem est humilis in oppositione ad superbos reges terrae, uti ex vocabulo עני erui tur (Is.26,6; 66,2; Ps. 17,28; Soph.3,11s.); et equitans super pullum asinae. Quod Messias veniat super asinum, potest significare vel humilitatem seu modestiam eius,- ob parallelismum cum versu, praecedenti vel characterem pacificum eo quod asinus sit symbolum pacis contra apparatum regum (Ier. 17,25; 22,4), licet data occasione - etiam in bello adhibeatur (Ex.15,1; 4 Reg.7,7.10; Is.21,

7). Novus rex religiosus non utitur asino ex eo quod is te fuerit sacer sicut apud antiquos populos orientis (30), quia apud populum Israel erat animal immundum (Ex.13, 13; 34, 20; Num. 18,15). Praeterea si Messias accendet super asinum, hoc nullo modo minuit potentiam et maiestatem suae regalitatis, nam antiquis temporibus asinus adhibebatur etiam a principibus (idcirco 5,10; 10,4; 2 Sam. 17,23), quia moris antiquioris erat non equum sed asinum inscedere (31). Ergo Messias, rex iustus et modestus, affert non solum salutem terrae, sed etiam pacem.

Pax est consequentia iustitiae, nam in S.Scriptura intime coniunguntur (Ps. 84,11) ita ut fiant synonymae (Ps. 71,3; Is.48,18; 60,17); Id est, ubi fit iustitia ibi erit pax, quia iuxta Isaiam, opus seu fructus iustitiae est pax seu tranquillitas et securitas (32,17). Iustitia et pax sunt dona propria temporis messianici, et Messias est princeps pacis qui et consolidabit regnum suum ope iustitiae (Is. 11,3-9; Ier.23,5; 33,15; Ps.71, 7; Mich.5,5). Omnia instrumenta bellica destruentur et regnavit pax inter Ephraim schismaticum et Ierusalem et inter omnes nationes sicque regnum spirituale Yahweh sine armis materialibus dilatabitur per universum orbem. De hac pace loquuntur etiam Is. 2,4 et Mich. 5,9. Regnum messianicum est igitur pacificum, non vi materiali impositum sed benevolentia spirituali seu iustitia.Tandem, dominium Messiae erit a flumine usque ad terminos terrae, id est, per universum orbem (Ps.71,8). Hoc flumen, iuxta contextum remotum in V.T. 1,7; Is. 7,20 et Mich. 7,12 videtur esse flumen Euphrates; locutio " fines terrae" numquam de sola Palaestina predicatur.

Articulus III

Sion-Ierusalem centrum regni messianici

E textibus praecedentibus constat Sion-Ierusalem tanquam thronum regis Messiae a psalmistis et prophetis consideratam esse. In praesenti articulo examinare debemus plures textus ubi civitas sancta apparet non iam locus ex quo protendit Messias regnum suum, sed ut locus ad quem omnes gentes respiciunt et omnes populi confluunt, id est, tanquam caput et centrum regni idealis seu messianici.

A.- Ps. 86, 3-7 (H.87, 3-7); Sion-Ierusalem mater omnium populorum.

v.3 Gloriosa praedicantur de te,
civitas Dei!

v.4 Accensebo Rahab et Babel colentibus (me:
ecce, Philistaea et Tyrus populusque Aethiopum:
hi nati sunt illic.

v.5 Et de Sion dicetur: "Viritim omnes -
sunt nati in ea
et ipse firmavit eam Excelsus".

v.6 Dominus scribet in libro populorum:
"Hi nati sunt illic".

v.7 Et cantabunt, dum chorum ducent:
"Omnes fontes mei sunt in te (32).

De primis versibus huius psalmi iam egimus supra et non est cur immoremur in illis; ideo attentionem movemus ad VV.3-7 quippe qui fini huius articuli magis

conveniant. Postquam vates describit dilectionem specialem Yahweh erga Sion-Ierusalem, annuntiat facta quae sunt ad gloriam et honorem civitatis et quae efficiunt eam famosam uti ex verbo hebraico כבד constat (Gen. 34,19; 1 Sam. 9,6; 2 Sam. 6,22).

Haec facta gloriosa Sion-Ierusalem non solum sunt ordinis materialis, ut in Ps. 121 et 131, 13-18, verum etiam characteris messianici, uti ex contextu subsequenti patet; id est, eo quod omnes populi confluunt ad Sion ut agnoscant et colent Yahweh. Inter hos populos enumerantur aliqui in primis Rahab seu superbus et potens Aegyptus (Is. 30,7; 51,9; Ps.88,11; Iob 9,13) et Babylon, qui in memoriam evocantur a Yahweh et in libro populorum inscribuntur (v.6) - uti fiebat per secretarium vel cancellarium regnorum (2 Sam. 20,24; 3 Reg.4,3; 4 Reg. 18,18. 37) - eo quod agnoverunt sed potius coluerunt et amaverunt Yahweh, prout ex verbo ידע eruitur (Ier. 31,34; Dan.11,32; Os.6,3). Aegyptus namque et Babylon, duo maxima imperia orientis, agnoscunt et colunt una cum aliis populis alienigenis; sc. Philistaeis, Tyris et Aethiopis ex quo deducitur universalismus messianicus, nam praecise extensio regni ab Aegypto usque ad Babylonem idem est ac expressio "a mari usque ad mare", qua indicatur universalitas regni messianici (Ps.2, 8; 71,8; Mich.5,3; Zach.9,10).

Omnes isti populi dicuntur "nati in Sion-Ierusalem" ad denotandum eos inscribendos esse in albo civium tanquam filios legitimos uti factum est in deserto pro filiis Israel (Num.1,18). Idea Sion-Ierusalem matris populorum inclusa est in illa trita imagine coniugii inter Yahweh et Sion-Ierusalem (Is.50,1; 54,6s;62, 4; Ez. 16). Hac de causa, Sion est "mater omnium populorum" vel implicite iuxta TM vel explicite iuxta LXX. Maternitas Sion intelligenda est praeprimis non in sensu geographico sed religioso, id est, quia ibi populi agnoscunt et colunt Yahweh, verum Deum, uti expresse dici

tur de Aegypto et Babylone. Re vera, licet Sion-Ierusalem condita sit antiquitus, et quidem civitas fuerit - cultus politheistici chananaei, tamen postea electa est a Yahweh eo fine ut esset metropolis verae religionis - et locus expansionis eiusdem religionis in universum orbem. Notandum est hic agi de populis alienigenis potius quam de proselytis,et captivis dispersis inter gentes - qui certe erant filii Sion (Is.27,13, 49,17-22; Soph.13, 10), nam saltem quoad proselytas notandum est maternitatem Sion sensum altiorem habere quam proselytismi,ob illam renovationem specialem aeconomiae salutis seu foederis novi (Is. 31,31s.) quae praecedere debebat regnum universale (33).

Omnes populi inscripti tanquam filii Sion-Ierusalem, exaltant matrem saltantes in signum laetitiae (Ier. 31,13; Ps.67,26s.) et cantantes: "omnes fontes mei sunt in te". In Oriente arido et deserto fontes aquarum valde aestimantur (Ps. 83,7) et hac de causa, saepe saepius in Scriptura adhibetur fons in sensu metaphorico ad indicanda beneficia Yahweh data populo, quia Yahweh ipse est "fons aquarum viventium" (Ier.2,13.18; 17,13), in quo confidere debet populus; et etiam est "fons vitae" eo quod ex illo provenit omnis felicitas seu prosperitas (Ps. 35,10; Prov. 13,14; 14,27; Is. 12,3; Bar.3, 12).

Quodam tempore igitur ideali, quod non potest esse nisi regnum messianicum a populo Israel expectatum, Sion-Ierusalem, caput et centrum eiusdem nationis erit centrum cultus omnium populorum, quatenus omnes ibi adorabunt Yahweh et hoc modo Sion erit mater spiritualis - populorum; id est, novi alienigenae neocultores equiparantur iis qui revera in Sion nati sunt.

Sensus positivus prophetiae non est alius nisi quod Sion-Ierusalem est mater populorum per regnum - spirituale seu per propagationem cognitionis seu cultus unici ac veri Dei.

B.- Is.2,2-4 et Mich.4,2-5: Sion-Ierusalem centrum regni idealis.

v.1 Factum quod vidit Isaias, filius Amos,
super Iudam et Ierusalem:

v.2 Et erit in novissimis diebus
positus erit mons domus Yahweh
in vertice montium,
et elevabitur super colles;
et fluent ad eum omnes gentes,

v.3 et ibunt populi multi et dicent:
venite et ascendamus ad montem Yahweh,
et ad domum Dei Iacob;
et docebit nos vias eius,
et ambulabimus in semitis eius,
quia ex Sion exibit doctrina
et verbum Yahweh ex Ierusalem.

v.4 Et iudicabit gentes,
et arguet populos multos;
et conflabunt gladios suos in vomores,
et lanceas suas in falces.
Non levabit gens contra gentem gladium,
nec exercebuntur amplius ad praelium.

v.5 Domus Iacob, venite,
et ambulemus in lumine Yahweh.

In his versibus parallelis loquuntur prophetae de Sion-Ierusalem ut de centro institutionis religiosae omnium nationum tempore futuro, in quo Yahweh erit iudex supremus et omnes fruentur pace ideali. Non est cur immoremur in auctore originali huius oraculi;de hac quaestione enim adhuc nihil certum scitur.

In hoc oraculo certe non agitur de Messia expressis verbis, sed potius de Yahweh; attamen, oraculum ut eschatologicum messianicum in sensu lato considerari

potest, nam in Scriptura praeter escharologiam stricte messianicam, adest etiam alia in sensu lato, quod sc. descriptiones respiciunt tempus felicitatis futurae sine mentione alicuius Messiae personalis (34).

In hac aetate futura ideali, mons domus Yahweh firmiter positus erit in vertice montium et elevabitur super colles; id est, mons templi seu Sion(Is. 11,9; 24,23; 56,7) firmam positionem habebit, sicut terra (Ps. 92,1; 95,10) et sicut thronus Dei (Ps.92,2), ita ut diu aut perpetuo mansurus sit, et erit sicut princeps omnium montium, eodem modo ac duces seu superiores populorum (1 Sam. 15,17; Is.7,8; Os.2,2). Agitur hic de metaphora vel symbolo, quia expectatio idealis messianica saepissime consideratur apud prophetas cum transformationibus physicis et quidem relate ad Sion-Ierusalem (cf. Ez.17,23; 40,2; Zach.14,10).

Ideo, sub metaphora elevationis montis Sion praedicitur gloria futura ipsius, quatenus ex eo procedet illa eminentia religioso-moralis religionis Yahweh super omnes populos, uti constat ex versibus subsequentibus. Sion igitur erit locus peregrinationis omnium gentium, quae ibi adorabunt Yahweh et agnoscent eum ut verum Deum universae terrae. Prophetae describunt adventum gentium ad Sion tanquam torrentem (vel flumen) exponte fluentem in mare; et sicut antea fluebant ut offerrent Bel-Marduk (Ier.51,44). Praecise ex hoc contextu Ieremiae patet ideam nostri oraculi non esse aliam nisi quod nationes tempore messianico venient ad Sion et ad Yahweh et non amplius ad Babylonem, famosissimam et inclytam civitatem universae terrae (Ier.51,41), neque ad Bel seu Marduk eiusdem deum; regnum enim Yahweh funbitur super ruinam imperiorum terrestrium et idolatriae uti dicitur in Dan. 2,44s.; 7,26.

Finis adventus nationum ad Sion ab ipsis nationibus proponitur, scil. ut Yahweh doceat eos vias suas, ita ut ambulare possint in semitis eius; id est,

nationes attrahuntur a morali religiosa Israel, potius quam a cultu eius; unde character spiritualis et universalis regni Yahweh idealis extollitur, nam docere - vias Yahweh idem est ac instruere vel cognitam facere integram religionem Yahweh seu modum agendi et vivendi Yahweh, uti indicat vocabulum "via" frequenter adhibitum sensu metaphorico et ethico (Ier. 32,19; Ez.7,3; - Zach.1,6). Gentes, edoctae ab ipso Yahweh (Ps.93,12;118, 12. 27. 34. 66), ambulabunt iuxta normam vitae a Yahweh praescriptam (Dt.8,6; Ios.22,5; Ps.118,3-5. 27,32).

Desiderium gentium non consistit in sola agnitione Yahweh sed in instructione circa legem ipsius, quia etiam vivere volunt iuxta illam legem. Unde patet conceptus ethicus et religiosus adventus gentium - in Sion; et hoc roboratur verbis subsequentibus et enphaticis "quia de Sion-Ierusalem procedit torah et verbum Yahweh".

Torah originaliter significat instructionem vel directionem Yahweh (Is.5,24; 8,16); Isaiae est aequiparare "verbum Yahweh" cum torah seu doctrina eius (1,10; 30,9,12), et in nostro textu ob legem parallelismi "verbum" et "torah" identificantur; pariter apud Ier.6,19; 8,8s.; et iam in pentateucho saltem implicite identificantur, nam "torah" seu lex per excellentiam, vocatur "decalogus", id est, decem verba foederis (Ex.20,1; 34,28; Dt.4,13; 10,4). In nostro oraculo, sicut in Is. 42,4; 51,4.7, forma "torah" obiective et essentialiter est auctoritas divina. Tamen quoad subiecta videtur "torah" pertinere ad sacerdotium, et "verbum" ad prophetismum (Ier.18,28). In nostro loco "torah et verbum" accipienda sunt in sensu ethico potius quam rituali vel cultuali, id est, in relatione cum aspirationibus gentium quae volunt ambulare iuxta praecepta Yahweh et sane Yahweh praefert adimpletionem doctrinae suae magis quam cultum (Os.8,13). Ceterum, "verbum" pluribus in locis adhibetur praecise ad designan-

dam revelationem Yahweh (1 Sam. 3,1; 9,27; Is.1,10;Ier. 1,2). Breviter torah promulgata ope sacerdotum et verbum ope prophetarum constituunt revelationem divinam.Igitur doctrina seu revelatio divina procedit ex Sion-Ierusalem eo sensu quod ibi est praesens Yahweh. Hoc confirmatur ex Ier. 3,17, ubi gentes congregantur in Sion-Ierusalem non curiositatis causa, sed ut agnoscant Yahweh ad quem vere convertuntur, deponentes obstinationem cordis pravi (Ier. 16,21); ex quo patet conversionem gentium duplicem sese: religiosam quoad fidem, et ethicam quoad mores.

Oraculum prosequitur annuntians pacem idealem, tamquam logicam consequentiam tum melioris ethicae populorum tum facti quod ipse Yahweh sit iudex et arbiter nationum, et quidem iure quia est supremus dominus mundi (Is. 6,3.5). Hoc iure insuper Yahweh non solum iudicat populos, sed etiam iisdem utitur ut instrumentis iudicii (Is. 7, 18-20; 10, 5-15; 13. 17-19). Torah et verbum Yahweh erunt norma suprema ad lites dirimendas; et tunc iudicium et iustitia quae procedunt ex adimpletione legis, erunt praecipui fructus aetatis idealis (Is. 1,26; 9,7; 11,3ss; 32,16; 33,15). Quia autem ideae excelsae intime copulantur, posita iustitia in terra, logice mens rapitur ad contemplandam pacem idealem. Yahweh iudicabit in quantum ope normarum torah et verbi,increpabit multos, et hi efficaciter se accingent ad conditiones pacis diuturnae inducendas.

De pace ideali pluribus in locis fit mentio (Ps. 71,3.7; Is. 9,7); attamen, oraculum nostrum de illa tractat modo mirabili et imaginibus quae indicant securitatem perfectam, eo quod populi confringent gladios et mutabunt eos in ligones seu instrumenta ferrea pro labore (1 Sam. 13,20; Ioel 4,20) et lanceas mutabunt in falculas quibus vites putantur (Is. 18,5; Ioe. 4,10).Illa namque aetate omnes occupati erunt in elaboranda terra et deerit tempus cogitandi de bello, et ideo gens non levabit gladium contra gentes (Cf.Ps. 45,9s;Os.2,18)

Michaeas pariter addit aliud symbolum pacis idealis, id est, unusquisque sedebit subtus vineam suam et subtus-ficum suum , et non erit qui deterreat. Est quaedam species proverbii ad indicandam perfectam securitatem et prosperitatem (3 Reg. 5,5 (4,25); Zach. 3,10), eo quod-vitis et ficus sunt imagines felicitatis et prosperitatis (Num. 20,5; 4 Reg. 18,31; Is. 36,16) et expressio - "non est qui exterreat" est tanquam formula securitatis et imperturbabilitatis (Lev. 26,6; Is. 17,2; Ier. 30,10) Cum populi igitur inter se conciliati fuerint sub oboedientia torah et revelationis in Sion-Ierusalem promanantium, tunc erit pax et securitas in terra. Fundamentum uius pacis non est praecise cultus Yahweh, sed potius vita vere religiosa, scilicet submissio humilis-revelationi divinae (35).

Oraculum concluditur adhortatione ad populum-Israel ut ipse tamquam depositarius revelationis Yahweh imitetur exemplum futurum gentium et actu ambulet in lumine Yahweh, et ita omnes simul adhaereant revelationi Yahweh, quia praecepta seu revelatio Yahweh illustrant-oculos et sunt tamquam lucerna pedibus in via (Ps.18,9; 118,105s; Prov. 6,23). Descriptio ergo universalistica-huius oraculi inservit ad extollendam futuram gloriam - Sion-Ierusalem et populi Israel, quia ex eis exiit - torah seu revelatio divina, id est, eminentia praeser - tim moralis et religiosa, quae erit unicum motivum conversionis populorum et unicus fons pacis universalis et felicitatis idealis messianicae, licet hic non sit Messias sed ipse Yahweh causa talis restaurationis, uti vidimus in introductione. Omnia haec movere debent populum Israel ut conservet sacrum depositum revelationis , quod est gloria eius (Bar. 4,1-4), ambulando in iisdem-praeceptis divinis.

C. -Is. 60: Sion-Ierusalem centrum mundi.

v.1 Surge illuminare Ierusalem, quia ve - (nit lumen tuum ,

Et gloria Yahweh super te orta est .

v.2 Quia ecce tenebrae operiunt terram,
et caligopopulos;
super te autem oritur Yahweh,
et gloria eius in te videbitur.

v.3 Et ambulabunt gentes in lumine tuo
et reges in splendore ortus tui.

v.4 Leva in circuitu oculos tuos et vide:
omnes isti congregantur veniunt tibi;
filii tui de longe veniunt.
et filiae tuae de latere surgunt.

v.6 Inundatio camelorum operiet te,
dromedarii Madiam et Epha;
omnes de Saba venient.
Aurum et thus deferentes,
ad laudem Yahweh annuntiantes.

v.10 Et aedificabunt filii peregrinorum mu-
(ros tuos,
et reges eorum ministrabunt tibi;
quia in ira mea percussi te,
et in clementia mea misertus sum tui.

v.11 Et aperientur portae tuae iugiter;
die ac nocte non claudentur,
ad adducendam tibi fortitudinem gen -
(tium,
et reges eorum afferendum.

v.12 Quia gentes et regna quae non servie -
(rint tibi peribunt,
et gentes exterminabuntur.

v.14 Et venient ad te humiliati filii eorum
(qui humiaverunt te
et adorabunt vestigia pedum tuorum om-
(nes qui detrahebant tibi
et vocabunt te civitatem Yahweh,

Sion sancti Israel.

v.16 Et suges lac gentium,
et mamilla regum lactaberis;

et scies quia ego sum Yahweh, salvans (te,
et redimens te, Fortis Iacob.

v.17 Pro aere afferam aurum
et pro ferro afferam argentum,
pro lignis aes
et pro lapidibus ferrum;
et ponam custodias tuas pacem
et autoritates tuas iustitiam.

Sion-Ierusalem gloria Yahweh illuminata, atrahet ad se omnes nationes Orientis et Occidentis, et accipiet non solum divitias earum sed etiam filios qui erant captivi inter ipsas gentes; muri eius iterum splendide aedificabuntur, atque civitas glorificabitur pace et iustitia aeterna una cum prosperitate mirabili.

Descriptio incipit cum exhortatione - quae - est quasi formula consolatoria et annuntians fausta (51, 17; 52,1) - ut surgat ex sua ruina, eo quod lumen et gloria Yahweh veniunt super eam. Yahweh est lux quatenus est fons et origo felicitatis et salutis (Ps.26,1 ; Is.10,17; Mich.7,8), nam per se lux est symbolum beatitudinis et restaurationis (Is.9,2; 13,10). In hoc casu Yahweh est praesens in nova Ierusalem eodem modo ac in deserto, in columna nubis, quae praecedebat Israelitas(Ex.13,21s; 14,19s); itaque, super Ierusalem splendet lux Yahweh seu felicitas maxima, super quam antea regnaverant tenebrae et caligo, quae sunt symbolum miseriae seu calamitatis et captivitatis (9,2; 13,10; 50,10; Ier.13, 16; Iob 30,26). Lumen Israel tenebris gentium apponitur (42,6; 49,6). Hac de causa gentes et reges terrae, operti tenebris et caligine, id est, miseria religiosa, venient ad lucem spiritualem et ad fulgorem Ierusalem ag

noscentes Yahweh ut verum Deum, et venient quidem non manibus vacuis, sed afferentes ei divitias regionum suarum et filios seu populum Israel captivum vel sponte commorantem inter ipsas gentes, cuius ope illae cognoverant lucem seu verum Deum Yahweh.

Iuxta 49,14-21, Sion-Ierusalem, quae videbatur sola et derelicta, iterum aedificabitur et erit mater innumerabilium filiorum. In hac parte prophetiae frequenter repetitur nationes portaturas esse filios Israel ex captivitate vel ex Diaspora: in 43,6 ipse Yahweh iubet afferri filios et filias Israel ab extremis terrae, et in 49,22 gentes dicuntur portaturae in humeris filias Israel et in ulnis filios eius. Haec est pars obsequii gentium erga Yahweh (66,20; Bar.5,6); et hoc indicat quod sicut Yahweh usus est nationibus tanquam instrumentis ad puniendum suum populum rebellem, ita populi erunt instrumenta restaurationis post poenitentiam, eo sensu quod adducent Israel iterum in terram suam et ad suum Deum, cuius sedes putabatur esse solum in Sion-Ierusalem. Et ita captivitas habet finem non solum puniendi Israel, sed etiam convertendi gentes apud quas populus captivus commorabatur. Factum quod gentes portent populum Israel in humeris non est nisi figura ad denotandum quod illi agnoscunt non tantum Yahweh ut Deum verum, sed etiam ipsum populum Israel ut populum Yahweh; quo sensu videtur prophetia habere aliquid nationalismi seu amoris patrii.

Obsequium gentium ad culmen pervenit, eo quod ipsi advenae adiumentum praestabunt in reconstruendo templo et muris civitatis, et reges principesque populorum ministri erunt in Ierusalem quoad cultum Yahweh(49,7), et pariter servient Ierusalem ita ut revereantur eam et sint tanquam nutrices eius (v.16; 49,23). Hoc denotat divitias Ierusalem, nam nutrimentum eius erit sicut nutrimentum regum, id est, abundans et ditissimum, sicut confirmatur ex v.17 ubi pro aere et ferro Ierusa--

lem habebit aurum et argentum, et pro lignis et lapidibus aes et ferrum, id est, omnia mutabuntur in melius. In his circumstantiis erit perfedta securitas in Ierusalem, ita ut portae non sint claudendae die ac nocte ; ut per eas divitiae gentium ad Ierusalem libere confluant; at gens et regnum quod non servierit Ierusalem peribit (v.11). Insuper, custodiae Ierusalem erunt pax et auctoritates eius iustitia, id est, Ierusalem regetur iustitia seu adimpletione legis (v.21) et consequenter gaudebit benedictionibus divinis et pace. Iuxta 54, 13-14 incolae Ierusalem erunt discipuli Yahweh seu oboedient divinae legi; quo facto Ierusalem habebit iustitiam et pacem seu prosperitatem magnam, quia non erit amplius violentia in ea, nec desvastatio nec calamitas; muri Ierusalem vocabuntur salus quatenus erunt signum perfectae securitatis (Is.26,1), et portae eius erunt gloria, quatenus gentes transibunt per eas ad laudandum Yahweh (v.18c-d). Gloria Yahweh substituetur soli et lunae, et ideo incolae Ierusalem non indigebunt luce eorum (v.19-20) et gaudebunt felicitate aeterna. Habitantes Sion terram possidebunt quin periculum deportationum ulteriorum timeant (v.21); et tandem, Israel finem ob quem creatus est adimplet, nam promissiones Abrahae factae omnes adimplebuntur (v.22; cf. Gen.17,7-8).

In Cantico senis Tobiae celebratur gloria futura Ierusalem verbis valde similibus nostri oraculi (13,13-14); iuxta codicem sinaiticum legitur: "Lux splendida fulgebit in omnes confines terrae. Nationes multae a longe venient ex omnibus finibus terrae ad habitandum prope nomen sanctum tuum, habentes in magnibus dona pro rege caeli. Generationes generationum exsultabunt in te, et nomen erit tibi 'electa' in generationes saeculi". Id est, Yahweh fulgebit et attrahet populos qui venient ad offerendum ei munera et ad habitandum cum gaudio vehementi prope sanctuarium seu templum quod erat sedes nominis Yahweh seu personae Yahweh(Ps.

73,7). Hac de causa, Ierusalem erit civitas celebris et famosa in aeternum quia Yahweh elegit eam in habitationem in terra et ideo tanquam centrum omnium populorum - quoad cultum veri Dei.

Sion-Ierusalem igitur ex dictis apparet tanquam centrum religiosum mundi in tempore ideali, quod generatim non est aliud nisi regnum messianicum. Gentes quae antea eam vexaverunt, venient ad eam cum muneribus ad agnoscendum Yahweh qui in ea habitat; et tamquam servi raedificabunt muros eius, et ideo fruetur etiam pace et iustitia seu prosperitate et securitate, qua de causa fama eius erit gloriosa in universo mundo, et omnes celebrabunt electionem eius in generationes saeculi.

D.- Zach. 8,20-23: Sion-Ierusalem centrum conversionis populorum.

v.20 Haec dicit Yahweh exercituum: Adhuc venient populi
et habitantes civitatum multarum,

v.21 Et ibunt habitatores unius ad alterum dicentes:
"Eamus ad deprecandam faciem Yahweh
et ad quaerendum Yahweh exercituum".
"Vadam etiam ego".

v.22 Et venient populi multi et gentes robustae ad quaerendum Yahweh exercituum in Ierusalem et ad deprecandam faciem Yahweh.

v.23 Sic dicit Yahweh exercituum: In diebus illis, apprehendent decem homines ex omnibus linguis gentium,
apprehendent fimbriam viri Iudaei, dicentes: Ibimus vobiscum, quia audivimus quod Deus vobiscum est".

DE SIGNIFICATIONE MONTIS SION

Propheta sequitur thema capitis praecedentis, et loquitur de iis quae ventura sunt cum Yahweh reversus fuerit ad novum templum. Sion-Ierusalem denuo sanctificabitur et erit civitas fidelis (de quo iam tractavimus); et una cum restauratione spirituali (VV.16-17), habebit et etiam prosperitatem materialem (VV.12-15).In hoc contextu collocatur vocatio gentium ad Yahweh in Ierusalem.

Non solum Iudaei superstites a magna calamitate exsilii efformabunt novam nationem, verum etiam omnes gentes, nam dicit vaticinium quod adhuc multi populi et nationes potentes se invicem invitabant et venient quaerere Yahweh in Ierusalem. Iam in 2,15 Yahweh praedicit quod in illo die alienigenae se adiungent populo Israel et erunt ipsi quoque populus Yahweh.

Itaque, gentes venient ad quaerendum Yahweh - in Ierusalem. Diversis ex finibus Yahweh quaeri potest: vel ut colatur (Dt.4,29; Ps. 68,7; Is.45,19) vel ut precetur seu rogetur (Ex.33,7; 2 Sam.12,16; Ps.39,17) vel tandem ut placetur (Ier.50,4; Os.3,5). In nostro casu - potius agitur de cultu Yahweh in Ierusalem. Hoc confirmatur ex 14,16 ubi dicitur quod gentes quae fuerant inimicae Ierusalem, ascendent singulis annis in Ierusalem ad adorandum regem, Yahweh, et ad celebrandam festivitatem tabernaculorum,sicut facere debebat populus electus iuxta legem Lev.23,39-43. Gentes namque sociae populi Israel adimplebunt etiam leges eius; et ita hac perfecta restauratione, in Ierusalem nulla res erit immunda, quia omnia erunt sancta, etiam tintinnabula equorum dicata erunt Yahweh (Lev.27,9s.; Is.23,18), eo sensu - quod consecrata erunt Yahweh suoque cultui occupata, et propterea ab usu non sacro et praesertim illegitimo ut pote sacrilego, separata. (cf. Is.52,1; Ez.43,12).Idcirco non erit ultra chananaeus in domo Yahweh, nam Chananaei semper habitaverunt cum populo Israel et in Ierusalem, etiam post expugnationem civitatis (idcirco 1,21 ;

2 Sam.24,17ss.). Propheta probabiliter alludit ad commercium vel mercaturam Chananaeorum et Phoenicum (Is.23,8 ; Ez.17,4; Soph.1,11; Iob 40,30; Prov.31,24); quod post - captivitatem fuit causa fastidii (Neh.13,16ss.) ob violationem legis sabbaticae (Ex.20,8-11), quae attrahebat iram divinam super populum (Ez.20,13; 22,8). Posset etiam esse allusio ad commercium eodem tempore in templo factum a quodam Tobia e familia summi sacerdotis Eliasib, - propter quam Nehemias debuit eum eiicere foras (Neh.13,4 -9).

Oraculum concluditur descriptione pulcherrima, dicitur enim quod illis diebus decem viri gentiles apprehendent fimbriam pallii unius viri iudaei, dicentes: 'Vobiscum ibimus, audivimus enim vobiscum esse Deum'. Sub hac figura depingitur desiderium magnum gentium veniendi ad colendum Yahweh in Ierusalem. Decem viri gentiles -- iidem sunt ac plures, quia pprehendent unum Israelitam - ab ora palii quo utebantur antiqui (Gen.39,12s.; 1 Sam. 15,27). In casu, gentibus Deum esse cum Israeliticis, ob defectum ipsorum Israelitarum, decem gentiles ibunt cum uno israelita, qui erit tamquam dux in via ad Ierusalem et praesertim tamquam medium eorum incorporationis ad populum Yahweh.

Gentes dicunt se audivisse Deum esse cum Israeliticis. Forsitan gentes hanc notitiam sumpserant ex populis vicinis, quorum opera res gestae Israel ad aures aliorum transibant (Ios.2,9-11; 9,9) vel ab ipsis Israelitis qui in captivitate enarrabant mirabilia quae fecerat eis Yahweh (Ps.136,3), et hac de causa persuasum sibi habebant Yahweh cum ipsis esse; ex parte sua Israelitae de cursu historiae sacrae uno ore confitentur Yahweh cum ipsis esse; quae expressio "Yahweh nobiscum est" in ore Israelitarum includit semper ideam auxilii et protectionis Yahweh erga suum populum, prout patet ex diversis locis: Num.14,9, 3 Reg.8,57; 2 Chr.32,8; Iud.13,11; Ps.45,8.12).

Itaque cum gentes dicunt se audivisse Yahweh

esse cum Israelitis, nihil aliud indicare volunt nisi quod sciunt Israelitas non tantum habuisse auxilium et protectionem Dei, sed etiam in posterum habituros esse. Paucis verbis gentes agnoscentes Yahweh ut verum Deum, quaerent protectionem et auxilium eius in Sion-Ierusalem ubi erat sedes eius terrestris. Hoc modo Sion-Ierusalem fit centrum conversionis gentium, et consequenter regni idealis seu messianici in quo haec conversio expectatur a prophetis.

Notandum est in ultimo versu huius capitis(23), sermonem fieri de Deo et non amplius de Yahweh, forsitan quia hoc ultimum nomen particularismum Iudaeorum nimis redolebat. Ideo oraculum extollit processum universalismi.

A r t i c u l u s I V

Sion-Ierusalem caput residui Israel

Regnum Yahweh in se,et regnum sui legati Messiae intime connexa sunt cum residuo Israel, uti videre est ex ipsa notione residui. Idea seu conceptus residui in genere per se incipit cum vocatione Abrahae (Gen.12, 2-3); sed magis premitur et accipit veram notam residui, id est, sensu messianico, proprie tempore prophetarum. In regno Israel de residuo agunt Elias (3 Reg.19,17-18) et Amos, et quidem cum charactere restaurationis messianicae (9,11-15); ideo prima testimonia circa residuum populi inveniuntur apud prophetas operantes in regno septentrionali. Apud Isaiam notio residui est idea theologica fundamentalis et constituit thema centrale eius praedicationis (1,9) ita ut habeat originem in vocatione prophetae et repraesentet residuum in proprio filio quem appellat "Šear-yašub", id est, "residuum revertetur"(7, 3). Residuum apud ipsum prophetam habet tamquam fundamentum ipsum Yahweh (11,11.16; 28,5) et etiam Yahweh et

Messiam tamquam coronam (4,2;10,21); residuum repraesentat populum Yahweh pace interna praeditum atque iustitia et sanctitate (4,3;10,20;11,13.16;35,8), et intimam relationem habet cum Sion-Ierusalem, qua cum identificatur (4,2;37,32).

Apud Michaeam et etiam apud Sophoniam residuum est novus populus Israel (Mich.4,6-7; Soph.2,7.9; 3, 10-15); pariter apud Ieremiam et Ezechielem (Ier.3,14. 18; Ez.20,44; 21,32). Tandem apud Zachariam habetur ultima prophetia de residuo, scil. de eius fine et glorificatione (6,11-13).

Iuxta Garofalo, inutile atque antihistoricum est quaerere originem extraneam tum mediatam tum immediatam huius conceptus, cum origo sit hebraica et veluti patrimonium religiosum populi Israel, ita ut non possit considerari idea propria alicuius auctoris vel prophetae determinati, praecise ob aspectum messianicum(36). Quoad determinationem residui, iuxta Kissane, residuum non sunt superstites post ruinam nationalem sed potius superstites post 'magnum iudicium purificationis'(37) ; sed apud prophetas illud magnum iudicium purificationis videtur non esse aliud nisi destructio Ierusalem et captivitas populi; propterea ipsi superstites a ruina et captivitate iure vocari possunt purificati (cf.Is.1,27; 2,6-21; Ioel 2,1-11; Soph.3,10-13). Certo certius ex ipso Isaia patet superstites ex iudicio purificatorio - esse ipsos superstites ex calamitate nationali (1,9;10, 20-23); et in 11,11-13.16 invenitur eadem idea et quidem cum relatione ad tempora messianica. Igitur, melius est dicere cum Garofalo prophetas loqui de residuo Israel sub his duobus aspectibus, scil.: ex una parte loquuntur de paucis Israelitis qui evaserunt ex calamitatibus nationalibus,et ex altera parte de residuo quod cum ipso Messia erit eiusque bonis fruetur. "Iidem igitur - qui historicam et temporalem effugiunt calamitatem - puta interitum Ierusalem anno 587 - connecti videntur cum

Messia" (38). Quod quidem non est sine fundamento nam ex Ier.23,3-6; Mich.5,1ss. videtur adesse magna relatio inter residuum et Messiam; et in Ez.34,12-16; 37,23s., Messias apparet tamquam initium temporis salutiferi erga residuum.

Ideo si residuum Israel intime connectitur cum regno Messiae; consequenter etiam coniungitur cum Sion-Ierusalem, eo quod sit non solum thronus Messiae regis verum etiam centrum regni eius, ita ut Sion-Ierusalem sit tamquam caput residui. En quod videndum est in praesenti articulo.

A.- Is. 4,2-3; residuum sanctum in Sion-Ierusalem.

v.3 In die illa,
erit germen Yahweh in magnificentiam
et gloriam
et fructus terrae in sublimitatem et
ornamentum
superstitibus Israel.

v.3 Et erit: residuum in Sion
et relictum in Ierusalem
sanctum vocabitur,
omne scriptum erit ad vitam in Ierusa
(lem.

Post iudicium Yahweh quod praenuntiatur pro tempore futuro interminato ("in die illa"), germen Yahweh erit ad magnificentiam et gloriam, et fructus terrae ad sublimitatem et exsultationem. Vegetatio seu fertilitas a Yahweh data (Ps.103,14; 147,8) aufertur e populo quando iste spernit Deum (Dt.28,22-24; Mal.3,4-12). In loco nostro pars restaurationis consistit praecise in eo quod fertilitas terrae amissa ob peccata populi, post iudicium seu purificationem iterum promittitur et datur superstitibus; et talis fertilitas et abundantia fructuum facit

gloriam et exsultationem residui eo sensu quod ceteri populi mirantur de ea (Ez.34,25-29). Expressio igitur "germen Yahweh" per se est sat generalis et significare potest tum fertilitatem materialem, quae est characteristica temporis post purificationem Israel (Is.30,23; Ez.47, 12; Ier.31,12 et passim) tum fertilitatem spiritualem, id est, iustitiam seu fidelitatem populi erga Yahweh ita ut sit in laudem Dei coram universis populis (Is.45,8;61,11), et tandem significare potest Messiam, eo sensu quod ille est germen suscitatum a Yahweh a terra Israel et ex dynastia davidica (Is.11,1; 53,2; Ier.23,5; 33,15; Zach.3, 8; 6,12), et etiam quia Messias revera est gloria et sublimitas residui coram gentibus terrae (39). Tamen ob contextum cum "fructu terra" probabiliter primus sensus accipiendus est, seu de fertilitate materiali a Yahweh - data.

Residuum in Sion-Ierusalem vocabitur sanctum - et adscriptum ad vitam.

Sanctitas residui consistit in eo quod purificatum ab omnibus peccatis, facit iustitiam seu adimplet fideliter praecepta Yahweh (1,25s.) et sic perfectam societatem habet cum ipso "sancto Israel"(10,20; Mich.7,18; Zach.14,20), Yahweh qui est puritas per excellentiam, neque umbra maculae est in eo. Non obliviscendum est conceptum sanctitatis et praesertim sanctitatis Yahweh fundamentalem esse in theologia Isaiae (40).

Hoc in textu sanctitas residui non causat vitam ipsius residui. Forsitan est contrarium, id est, quod cives superstites eo quod sunt scripti ad vitam in Ierusalem, sancti vocabuntur; sanctitas enim residui non producit exsistentiam ipsius sed ex eo quod est residuum, punitione purificatum, vocatur sanctum. Iuxta Herntrich, solum in hoc sensu loqui possumus de sanctitate residui (41); et sane quia sanctitas residui saltem ethica per se non apparet in Scriptura, immo peccabilitas eius magis ostenditur in ipso Is.4,4; Ez.9,8; 11,13; Mich.7,18.

Vita in hoc casu sumenda est in sensu altiore, id est, de beatitudine seu salute quam Deus promittit et dat iustis (Dt.30,15s.; Ps.33,13; Prov.8,35; 10,11.17; Mal. 2,5).

Sanctitas est ethica uti constat ex contextu de peccatis gubernatorum et mulierum (Is.3). Et in Scriptura invenitur traditio de quodam libro vitae in quo scribuntur solummodo qui sunt absque macula et timent Deum, atque opera eorum (Ex.32,32; Mal.3,16; Ps. 68,29); in hoc nempe libro scripti sunt digni regno Yahweh, iuxta Dan.12,1. Ideo, sicut in catalogo civili scribebantur facta praecipua et nmina virorum benefactorum (Est.2,23;6,1), ita in libro vitae scripta sunt opera et nomina eorum qui sunt digni regno Dei. Traditio huius libri vitae invenitur etiam apud Babylonios, eo quod deus Nebo scribebat in tabulis non solum facta mundi sed etiam opera bona individuorum (42).

In nostro textu igitur residuum inscribi debet in catalogo virorum illustrium Ierusalem non tantum quatenus purificatum evasit e calamitate temporali exsilii et destructionis Ierusalem et restauravit populum et civitatem in iustitia et fidelitate erga Yahweh, verum etiam quia destinatum est habere partem in regno messianico, in quo consistit praecise sanctitas residui, quod fit indestructibile seu inaccessibile oppugnationibus inimicorum, cum debet efformare partem, seu potius dare cives regno messianico. Qua de causa Sion-Ierusalem apparebit tamquam metropolis residui in regno messianico.

B.- Is.28,16: Lapis angularis in Sion-Ierusalem.

Idcirco dicit Dominus Yahweh:
Ecce mittam in Sion lapidem ut fundamentum,
lapidem probatum,

lapidem angularem, pretiosum, in fundamento fundatum;
qui crediderit non perturbabitur.

In contextu loquitur propheta de iudicio divino contra Samariam et Ierusalem, eo quod confidunt in propriis viribus et in pactis cum nationibus alienigenis magis quam in potentia Yahweh. Attamen Yahweh est summe bonus et simul cum punitione promittit restaurationem non solum Samariae - de qua exibit residuum iustum et forte (v.5) - sed etiam Ierusalem, in qua Yahweh ponit lapidem salvationis pro omnibus qui confidunt in eo.

Iam in antiquitate lapides religiose adhibiti sunt ad foedus piniendum et in testimonium (Gen.31,45-52; Os.4,3.20-24). Lapis angularis erat ille qui ponebatur in angulo aedificii magnique momenti erat, eo quod sustinere debebat duos parietes eiusdem aedificii; ideo magnae dimensiones ei erant, et maxima cum cura eligebatur (cf. 3 Reg.5,32). Sed praeter hunc sensum strictum, invenitur etiam in Scriptura usus metaphoricus lapidis angularis ad designandam aliquam personam eminentem, ut duces populi et principes eius (cf.Idc.20,2; 1 Sam.14, 38; Is. 19,13).

Considerato solo contextu nostri capitis, lapis angularis non potest esse nisi ipse Yahweh, quia in v.5 promittens Deus restaurationem regni Samariae, Yahweh apparet diadema et corona quoad residuum populi et tamquam vera iustitia quoad iudices. Ita etiam in v.16, ubi agitur de restauratione regni Ierusalem, Yahweh debet esse pro residuo lapis angularis qui habet in se potestatem salvandi, quique facit iudicium et iustitiam (v. 17) immo verba nostri versus pendent a duobus versibus praecedentibus, in quibus Yahweh exprobrat duces populi quod confidant magis in pactis humanis quam in Yahweh. Praeterea Yahweh est lapis adiutorii vel protectionis (Gen.49,24) et iuxta nostrum textum ille qui confidit -

in lapide non perturbabitur animo. Ergo lapis hoc in textu non potest esse nisi ipse Yahweh, in quo unice confidere debet populus. Notatu dignum est istum lapidem angularem positum esse in Sion-Ierusalem, tum in sensu quod Yahweh est unicus et verus protector civitatis, uti satis vidimus supra, tum in sensu quod est adiutorium residuo fideli sub nomine Sion repraesentato, ideo in sensu lato lapis potest esse etiam Messias qui est vera arrha salutis Israel; et hac de causa non potest negari aliquos textus, quia agunt de lapide, accepisse etiam sensum messianicum licet tempore posteriore (43). Et revera in N.T. hic textus accipit sensum pleniorem messianicum (cf.Rom.9,33; 1 Pt.2,6-7). Ceterum Yahweh est lapis protectionis et auxilii pro suo residuo praecise in Sion-Ierusalem, ad denotandum quod civitas sancta non est solum regni Yahweh sed etiam caput residui seu populi eius.

C.- Is.37,31-32; Residuum procedit ex Sion-Ierusalem.

31 Et mittet superstes domus Iuda et residuum radicem
deorsum et faciet fructum sursum;

32 quia de Ierusalem exibit residuum et superstes in monte Sion. Zelus Yahweh exercituum faciet hoc.

In 4 Reg.19,30-31 eadem prophetia invenitur litteraliter. Postquam Ezechias rex solverat tributum Sennacherib, ita iterum misit nuntios ad Ezechiam ut traderetur Ierusalem in manus eius; qua de causa rex Ezechias orat in templo et Isaias vaticinatur contra Assyrios et dat signum auxilii divini. Signum in genere continet eventum futurum cuius adimpletione roboratur auctoritas legati divini (Ex.3,12; Is.7,10ss.); Ideo hic signum datur ad probandam protectionem Yahweh erga Ierusalem et destructionem Sennacherib; nam, etsi ob

invasionem agri vastati essent et carentia bonorum adesset, tamen terra non poterat prorsus extingui quia residuum iterum exire debebat e Sion-Ierusalem ad habitandam et colendam terram.

Certe in hoc casu uti cofirmatur ex v.4, agitur de habitantibus Sion-Ierusalem, qui erant unici salvati e devastatione Sennacherib; sed conceptus conectitur aliquo modo cum illo residui de quo tractamus, eo quod non obstante destructione generali, Yahweh conservat residuum et praecise in Sion-Ierusalem, ad servandum pactum cum David et continuandum suum populum; propterea omnis decimatio populi providentialiter erat ipsius purificatio, ut ita fieret dignior promissionibus messianicis.

Proinde,in casu residuum secum fert salvationem populi Israel et propter illud Sion-Ierusalem est stabilis; id est, tamquam caput residui Israel a quo omnis terra devastata denuo habitabitur, Sion-Ierusalem - non potest destrui sed permanere debet.

D.- Ioel 3,5(2,32): Residuum in Sion-Ierusalem.

Et erit: omnis qui invocaverit nomen Yahweh, salvus erit,
quia in monte Sion et in Ierusalem
erit superstes, sicut dixit Yahweh.
et in residuis quos Yahweh vocaverit.

Propheta vaticinatur punitionem divinam quae - solum placatur poenitentia; qua facta, Deus cladem avertit et promittit non solum bona temporalia sed et spiritualia. Melius esset versum hunc ponere immediate post v.2 (29; v.3)(30) post v.11 et v.4 (31) post v.10,quia in nostro versu et 1-2 (28-29) agitur de benedictionibus spiritualibus Yahweh post poenitentiam populi, dum in istis versibus intermediis sermo est de punitione catastrophica, de qua agitur in vv.10-11. Sermo fit de residuo etiam in Ioel 2,3 ubi denotat id quod evasit per

niciem a locustis causatam. Alluditur ad superstites alicuius cladis historicae, licet futurae.

Spiritus Yahweh effundetur super omnes homines relictos ex populo Israel et omnes simul prophetabunt, somniis et visionibus, sine distinctione sexus aut status. De effusione spiritus Yahweh multoties tractatur in Scriptura. Imprimis in creatione spiritus Yahweh apparet tamquam activitas cosmica (Gen.1,2) et in libro Iob integra vita hominis est effectus spiritus Yahweh (27,3; 34,14). In hoc sensu accipitur fundamentaliter expressio "ruah" apud Hebraeos (44). Conservatio rerum seu continua creatio fundatur in spiritu Yahweh (Ps.103,30; Sap. 1,7; Is.32,15). In ordine spirituali seu psychologico - spiritus Yahweh producit effectus mirabiles: enthusiasmum bellico-religiosum (Idc.4,34; 11,29), vires seu potentiam physicam (Idc.13,25; 14,6); donum propheticum - (1 Sam.10,6;9,20) oracula prophetica (2 Sam.23,3; Ez.11, 5) et dona specialis (Is.11,2a). Ex hoc patet quod spiritus Yahweh est vis creativa et vivificans seu principium vitale omnium entium, et potentia conservatrix et simul transformatrix non solum rerum materialium, sed etiam spiritus hominum; denique, spiritus Yahweh est charisma speciale datum aliquibus ob missionem seu officium determinatum seu est principium activitatis tum - pro individuo tum pro collectivitate seu natione.

Ideo in Ioele charisma propheticum (antea reservatum paucis) datur residuo sine distinctione sexus et status, ut omnes pariter possint emittere vera oracula inspirata ad confirmandam suam religionem (45). Prout apparet ex contextu, id est, sicut punitio metaphorice describitur tamquam catastrophe, ita posset admitti restaurationem quoque metaphorice depingi, et deinde ipsam infusionem spiritus.

Yahweh in Sion-Ierusalem eligit seu vocat residuum. Generatim quando Deus aliquem vocat, significare vult quod eum consecrat ad ministerium suum et ipso fac

to ille habet in se vim afficacem adimplendi illud(46). Quapropter, si Yahweh vocat seu eligit residuum in Sion -Ierusalem, iudicare vult quod residuum destinatur ad opus Yahweh seu ad salutem populi Israel, quatenus ex iudicio seu punitione sibi reservat aliquos qui debent continuare populum, iuxta promissionem David factam (2 Sam.7,16); et ideo residuum intime conectitur cum salute messianica, et particeps fit benedictionum spiritualium et etiam temporalium.

Ex Ioele ergo concluditur Sion-Ierusalem esse caput residui Israel, vocati seu electi a Yahweh ut sit pars fidelis populi, salvata ex calamitatibus, et hoc modo adimpleantur promissiones Yahweh servo suo David factae quoad stabilitatem domus eius. Porro eo quod residuum est fidele et pars selecta, fruitur bonis spiritualibus et etiam materialibus uti confirmatur Abd.17, ubi propheta in vaticinio contra Edom, praecipuum inimicum Israel promittit quod in Sion-Ierusalem erit residuum et possidebit eos qui antea possederant illud, et Sion erit locus sanctus, id est, inaccessibilis extraneis seu profanis, uti corroboratur a Ioele 4,17 (3,17), ubi post punitionem gentium quae vexaverant Israel, promittitur gloria Ierusalem quia "erit sancta et alieni non transibunt per eam amplius", et ideo habitabitur in generationem et generationem (v.20):

Sion exhibetur tamquam centrum religiosum firmiter stabilitum et ibi residuum congregabitur. Textus habet sensum pleniorem messianicum in N.T., quando S. Petrus die Pentecostes citat textum Ioel quasi litteraliter iuxta LXX et expresse dicit prophetiam impletam esse illo momento (cf.Act.2,16-21).

C O N C L U S I O

Regnum Yahweh universale seu dominium eius naturale in omnes creaturas ex ipsa creatione deductum, et regnum Yahweh speciale seu provindentiale quoad populum Israel, habent Sion-Ierusalem tamquam solium, apud psalmistas et prophetas; Arca enim foederis in Sion posita, erat specialis thronus Yahweh in terra. Quam ob rem, Sion-Ierusalem est locus expansionis imperii Yahweh super omnes populos et super omnem terram. Ibi, uti in throno sapphirino seu caelesti sedebat Yahweh ad iudicandos oppressores populi Israel et deos gentium seu idolatriam, et etiam ad leges ferendas.

Porro in Sion-Ierusalem accipere debebat Yahweh regnum, post vindictam contra Edom, praecipuum inimicum populi electi, factam ab ipso residuo Israel.

Si Sion-Ierusalem tamquam solium regni Yahweh considerata est, etiam ut thronus regni Messiae habita est, eo quod fuerit continuatio vel integratio, seu potius manifestatio extraordinaria regni Yahweh. Hac de causa, Sion est thronus ubi Messias seu Unctus Yahweh et vice-rex caelestis Yahweh atque filius eius naturalis, constitutus est rex terrestris ab ipso Yahweh super omnes populos. Etenim cum Sion esset centrum politicum et religiosum regni David, et regnum Messiae esset ut continuatio regni David, consequenter debebat esse thronus Messiae. Sane a psalmistis Sion consideratur ut thronus ubi Messias incipit regnare et protendere seu dilatare suum dominium universale, tum modo bellico et militari, id est, cum characterá belli sancti contra inimicos Israel adiuvantibus sibi Yahweh et populo generoso et numeroso, tum modo modesto et pacifico, mediante impositione iustitiae, praesertim erga suum populum electum, qui propterea fruitur pace et tranquillitate. Tandem ubi regnat Messias non sicut quilibet rex, sed profecto

ut sacerdos aeternus, solemni iureiurando divino constitutus.

Sion-Ierusalem considerata est pariter centrum regni messianici seu locus ad quem omnes gentes respiciunt et omnes populi confluunt. Babylon enim et superbus Aegyptus, maxima imperia Orientis antiqui sunt cultores Yahweh una cum aliis populis alienigenis, qui, ob hanc causam, inscribuntur in albo civium Ierusalem tamquam filii eius, id est, Sion fit mater spiritualis omnium populorum per propagationem cognitionis seu cultus veri et unici Dei; et idoo omnes fontes vitae spiritualis in ea inveniuntur, quia Yahwe qui est verus "fons - vitae", in ea habitabat. Talis depingitur praeminentia - religiosa et ethica religionis Yahweh ex Sion-Ierusalem promanantis, ut sub metaphora elevationis physicae, Sion ponatur in vertice montium et elevata super omnes colles, eo fine ut aspiciatur ab omnibus finibus terrae. Et revera, populi sicut torrens sponte fluens in mare, venient ad agnoscendum et adorandum Yahweh in Sion, ad discendam religionem et ethicam seu revelationem Dei, et ad ambulandum iuxta normam ipsius religionis et ipsius ethicae, id est, amplectentur religionem Yahweh. Rebus ita compositis, omnes gentes habebunt Yahweh ut iudicem et arbitrum, et ideo iustitia erit et consequenter pax idealis. Praeterea, Sion-Ierusalem gloria seu praesentia divina illuminata, attrahet ad se omnes nationes sedentes in tenebris et umbra mortis seu in miseria religiosa, et populi se invicem invitabunt et venient ad lucem spiritualem et ad fulgorem Ierusalem, ut agnoscant Yahweh verum Deum, portantes filios Sion quos captivos duxerant et divitias suarum regionum; populi erunt reaedificatores murorum civitatis, et reges terrae ministri cultus Yahweh. Talis erit gloria Ierusalem ut omnes populi sine distinctione aggregandi sint populo electo et participes futuri sint cultus et festorum ipsius, et ideo omnia sint sancta in Ierusalem seu consecrata Yahweh, id est, ab omni usu non sacro sancta

in Ierusalem seu consecrata Yahweh. Propterea, de gloria Ierusalem exsultabunt omnes generationes et electio eius celebrabitur in saeculum saeculi et omnes gentiles maximum desiderium habebunt veniendi ad eam ita ut apprehendant plures unum Israelitam tamquam ductorem et introductorem sui in populum Israel.

Tandem, intime coniunctum cum regno Yahweh et Messiae est residuum populi Israel, et tunc sicut Sion-Ierusalem est solium regni Yahweh et Messiae, ita et iam est caput residui Israel seu superstitum e calamitate nationali, qui ipsa calamitate sunt purificati et speciali vocatione consecrati ad conservandum sensum historicum regni Yahweh et adimplendam promissionem divinam quoad domum David. Revera ob hanc causam residuum dicitur inscriptum ad vitam in Ierusalem, eodem modo ac in catalogo civili inscribabantur viri illustres nationis et civitatis; id est, residuum est sanctum et ideo stabile, quia insuper habet ut lapidem angularem seu fundamentalem et inconcussum ipsum Yahweh; et propterea, prosperitate materiali et specialibus charismatibus spiritualibus frui debebat.

B I B L I O G R A P H I A

(1) - Cf. FREY J. - B., Royaume de Dieu ou Royaume des Cieux, in Dict. Bibl., V Paris 1912, 1238.

(2) - Circa hoc thema possunt consuli: VACCARI A., De Regno Dei in V.D. 7(1927) 327-331; et BUBER M., Königtum Gottes, Berlin 1936; VON RAD G., in TWZNT I Stuttgart 1933, 563-569; LAGRANGE M.-J., Le Règne de Dieu dans l'Ancien Testament, in RB 5(1908) 36-61; FELTEN G., Storia dei tempi del Nuovo Testamento, III Roma 1944, 224.

(3) - Videtur esse psalmus post-exsilicus, et allusio ad Arcam pura forma litteraria.

(4) - VON RAD G., in TWZNT, I, 567.

(5) - LAGRANGE M.-J. Le Règne de Dieu dans l'Ancient - Testament, in RB 5 (1908)45.

(6) - HOPFL-MILLER-METZINGER, Introductio specialis in V.T. 5, Romae 1946, No. 576.

(7) - Diiudicare in re disputata (Num. 35,24); in lite cum auctoritate sententiam pronuntiare (Gen. 16, 5; Ex. 18,16); iustitiam administrare pauperibus (Is. 11,4; Ps. 75,10); Oppressorum iura defendere (Is. 1,17; Ier. 22,3).

(8) - LAGRANGE M.-J., Le Règne de Dieu dans l'A.T.,45.

(9) - FREY J.B., in Dict. Bibl., V Paris 1912, 1239.

(10) - LAGRANGE M.-J., Le Règne de Dieu dans l'A.T.,60.

(11) - SCHMIDT J., Der Ewigkeitsbegriff in Alten Testament, Münich i.W. 1940, 174.

(12) - Circa hoc thema possunt consuli: DENNEFELD L., - Messianisme, in DTC X Paris 1929, 1404-1563, et POHL A., De ortu et evolutione spei messianicae in VD 6 (1926) 284-286.

(13) - HOPFL-GUT, Introductio generalis in S.Scripturam 5., Romae 1950, No. 260.

(14) - C. 45-50, in CHARLES R. H., The Apocrypha and - Pseudoepigrapha of the Old Testament , II Oxford 1913, 213-218.

(15) - Lib. III, 46-50, in CHARLES R.H., Ibid. 379.

(16) - Ps. 17, 1-46, in CHARLES R.H., Ibid. 647-651.
Praeterea circa hoc thema possunt consuli:LAGRANGE M.-J., Le Messianisme chez les Juifs, Paris 1909; FELTEN G., Storia dei tempi del N.T. ,III, 180ss.
BONSIRVEN G., Il Giudaismo palestinese al tempo di Gesu Cristo,Torino-Roma 1950, 120ss.

(17) - HEINISCH-PINTONELLO, Teologia del Vecchio Testamento, Torino-Roma 1950, 403.

(18) - VACCARI A., De Messia "Filio Dei" in Veteri Testamento (Ps.2,7) in VD 15 (1935) 83.

(19) - DHORME P., La Religion Assyro-babylonienne, Paris 1910, 166ss.; LABAT R., Le charatere religieux

de la Royauté Assyro-babylonienne, Paris 1939, - 53ss.

(20) - ERMANN-RANKE, Aegypter und Aegyptisches Leben in Altertum, Tübingen 1923, 10. 466; MORET A., Du charatere de la royauté pharaonique, Paris 1902, 48ss.

(21) - LAGRANGE M.-J., La Paternité de Dieu dans l'Ancient Testament, in RB 5 (1908) 487.

(22) - VACCARI A., De Messia "Filio Dei" in V.T., 54; SEGULA F., Messias rex in Psalmis in VD 32(1924)31.

(23) - Cf. VACCARI A., De Messia "Filio Dei" in V.T.54,

(24) - LESETRE F., in Dict. Bibl,, V Paris 1912, 641s.

(25) - DHORME E., Les Religions de Babylonie et Assyrie, Paris 1949, 198ss.

(26) - 1 Sam. 13,9; 2 Sam. 6,17; 3 Reg. 3,4; 8,55.64.

(27) - FLAVIUS I., Antiquitatum Iudaicarum et De bello Iudaico, Lib. XIV, XIII, 10 ed.. NIESE B., Berolini 1888 et 1905, III, 246.

(28) - CHAINE J., Le livre de la Genese, Paris 1951,207. Iuxta hunc ipsum auctorem, quod Melchisedech appareat tamquam sacerdos "Dei altissimi" non denotat certe monotheismum ipsius, quia Elyôn erat - nomen etiam apud populos polytheistas adhibitum, et forsitan Elyôn ab exegesi hebraica substitutum est pro Šalim.

(29) - Cf. VACCARI A., Melchidech, rex Salem proferens panem et vinum, in VD 18 (1938) 211. BEYER H.W. in TWZNT, II Stuttgart 1935, 755.

